

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Theologica Inavgralis De Acqvirenda Vitæ
Sanctitate, ...**

Lütkemann, Timotheus

Gryphiswaldiæ, [MDCCXXXVIII?]

VD18 13281119

Widmung

urn:nbn:de:gbv:45:1-15706

INCLYTÆ
CIVITATIS STRALESVNDENSIS
PATRES CONSCRIPTI,
DOMINI
CONSILIARIE PROVINCIALIS ET CONSULES,
Dn. SYNDICE,
DNN. CAMERARIIL, PRÆTORES ET SENATORES,
Dn. PROTONOTARIE
AC SECRETARIII,
VIRI
MAGNIFICI, GENEROSI ET OB INSIGNEM
LEGVM PERITIAM, CONSILIORVM SAPIENTIAM, PRO
SALVTE PVBLICA VIGILANTIAM INDEFESSAM MO-
RVMQVE GRAVITATEM PRÆCLARISSIMI,
SPECIATIM VERO Vos,
CVRATORES FIDELISSIMI STIPENDII ILLIUS, QVOD PIETAS B. DN. LEVII,
SENATORIS QVONDAM IN HAC CIVITATE AMPLISSIMI, CVI AFFINITATE
EGO CONJVNGOR, FVNDAVIT, QVODQVE IN ME LIBERALITER CON-
FERRE PARATI ESTIS,
PATRONI, FAVORITES, AMICI,
SUSPICIENDI,
COLENDI.



Solemne est eruditis, PATRES CON-
SCRIPTI, ut lucubrationes suas PA-
TRONIS ET AMICIS consecrent, Eo-
rundemque nomina, quæ colunt & in pretio
habent, scriptis suis, typis expressis, præmittant.
Laudem suam hæc consuetudo meretur, cum
finis ejus sit, ut propositum, studia & occupa-
tiones nostras in commoda ac oblectamentum
eorum, quibus præ reliquis multa debemus,
conferendi, hoc ipso significetur. Mihi certe
scopus hicce præfixus est, dum frontem Differ-
tationis meæ inauguralis VESTRIS nominibus
orno. Pietas est VESTRA, quod sollicite cu-
raveritis, ut Pastoris Mariani officium, per abitum
Antecessoris mei dudum vacans, successori de-
mandaretur. Sed favor est VESTER in me exi-
mius, quod huic spartæ parem me existimantes,
ex vicinis montibus Rugianis huc advocaveritis.

VE-



VESTER ergo sum, quem VESTRVM volui-
stis, quem cœtui Mariano dedistis. Ambobus
studia mea, curas, lucubrationes, consecro. Te-
statum VOBIS hoc dare volui dedicatione præ-
sente meditationum mearum DE SANCTITATE
VITÆ ACQVIRENTA, quas hæ paginæ continent.
Propensus VESTER in me, quem expertus
sum, animus dubitare me prorsus non sinit, quin
serena fronte conatum huncce meum excepturi
sitis. Faxit benignissimum Numen, ut ex voto
& spe VESTRA muneri mihi concredito par
inveniar. Faxit, ut Vosmet ipsi, cum splendidis
VESTRIS familiis perenni felicitate fruamini,
ut semper habeam, de quo & VOBIS & mihi
gratuler.

B. GEBHARDI





PRÆFATIO.



uemadmodum omnia sanctioris
doctrinæ capita arctissimo inter
se vinculo cohærent, & si unus
articulorum theologorum, certe
fundamentalium, ignoretur, vel
plane impugnetur, notitia divi-
norum dogmatum, quatenus ad
salutem est necessaria, sibimet ipſi non constat: ita
de hac veritate nihil testatur clarius, quam ipsa
sanctitatis vitæ meditatio, quæ, cognitionem & pra-
xim sororio vinculo unitas, adeoque nunquam non
connectendas esse, evidentissime docet. Qualis enim
illa foret sanctitas, quæ per divinam scripturæ san-
ctæ efficaciam non formaretur, ad eandemque, tan-
quam ad amissim, in exercitium non duceretur?
Nonne stultus foret ille conatus, quo sine Dei Tri-

A

nunius

